



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Exhortationes|| Ad|| Religiosos**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

Præfatio Ad Lectorem benevolum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](#)

# P R A E F A T I O

Ad Lectorem benevolum.



Vanquam Exhortationes præsentes, in omnes  
Summarii Constitutionum, Societatis nostra Regu-  
las, ad Tyrone (ordinariè Treviris quinquagin-  
ta numeramus) aliosque Patres ac Fratres, in Do-  
mo probationis degentes, habuerimus; ita tamen eas  
concinnavimus; ut paucis mutatis, aliorum quoque  
Ordinum Religiosis, deseruire valeant: quò fructus  
laboris sese explicaret latius, atque ad plures uberiori dimanaret. Quem-  
admodum dixerit S. Parenz noster Ignatius nos docuit p. 7. Confit. cap. 2.  
dum ait: Spirituale auxilium impensum multis, anteponendum  
est illi, quod præstatur paucis: causamque mox subdit: quia bonum  
quò universalius, eò divinius est. Aproinde, ut confidimus, tenuis  
hec opella nostra,

I. Serviet Tyrorum Magistris, nonnunquam aut debilitate & infirmita-  
te; aut negotiis aliis, temporisve angustia pressis, dum illis interea, binis  
in hebdomade diebus, juxta præscriptum Regulæ, dicendum est. quos labor  
hicce noster, nonnihil sublevarere poterit.

II. Serviet Concionatoribus nostris, domesticos intra parietes, singulis aut  
alternis hebdomadibus Collegas ad perfectionem excitantibus, atque in ma-  
teria apta, mox reperienda, aut feligenda, quandoque hærentibus; quibus  
plurima ufui futura suggestimus.

III. Serviet Ordinum aliorum Religiosis, vel in Monasteriis propriis,  
vel in Monialium Asceteriis, perorantibus, quibus quanto subsidio omnes  
ferè hæ Exhortationes futurae sint, Index abunde ostenderet.

IV. Serviet Prælatis ac Superioribus, in Religiosorum suorum, aut  
Virginum Sacrarum Investitura panegyris habituris; qui si cum in præ-  
liminaribus, tum in fine de Religioso statu privilegiis ac favoribus, varia  
suppeditamus.

V. Ser-

**Præfatio ad Lectorem benevolum.**

*V. Serviet iisdem, in professionibus solemnibus, ad profidentes, aut professos, parænesin instituturis; quibus quæplurima, de paupertate, castitate, obediencia, Regulari observantia, aliisque virtutibus Religiosis inserviamus.*

*VI. Serviet quoque Tyronibus illis, ad quos diximus (sübre universim batenus 180.) qui post fara nostra diu superstites, exhortationes olim auditæ legere ac relegere, & lac, quo in vita Religiosæ infans pasti, educatiique sunt, denudruminare gustumque inde & spiritus nutrimentum percipere poterunt.*

*VII. Serviet postremò Religiosis quibuscumque, vel pro privata, vel pro publica super mensam, lectione; cum de perfectione, omnibusque virtutibus Religioso consentaneis tractet. Neque enim predicatione duntaxat; sed etiam lectio spirituatis animam nutrit, dum quis efcas spiritus delibat, gustat, & ut cum Magno Augustino, loquar, in ventrem memoriae demittit; ut postmodum intellectum pascat, voluntatem reficiat & spiritum alias flaccidensem, robore atque confortet.*

*Atque hic, scopus est & intentio nostra. Quisquis vero hæc legerit, ea pro sua prudenter & ingenio gustui ac Instituto suo, nullo negotio, accemperabit. Inventis namque facile est addere aut demere: facile est, que de Regulanostra adducta sunt, simili Ordinis alterius Regula, ut de oratione, de devotione, de tentatione, de exhortatione, de synaxis sacra, de modestia, humilitate, charitate, zelo animarum, aliisque virtutibus Religiorum, applicare. Facile est, historiis & exemplis (quibus non raro usi sumus, quod ius juventus Religiosa delectetur) è penu nostro depromptis, propriæ religionis exempla illustraque facinora subtiliter: Ac proinde miretur nemo, eandem nos escam diversis adeo Religionibus proponere: siquidem ex eadem mensa, bene instruta, puer & senex, vir & femina, debilis ac robustus alimentum conveniens nanciscitur. In eodem prato, ut scribit Seneca Epist. 107. Bos herbam, canis leporem, ciconia lacertam capitat. Paraproinde ratione, eadem Exhortationum mensa diversis Religiosis patulum congruens dispescere valebit. Ideoque*

*Conceperus non admodum sublimes, aut vix ingeniorum aquilis perceptibles; sed faciles, ac Tyronum captui accommodatos, communiterque è saeculis paginis decerpitos, selegimus.*

*Diximus lingua germanicâ, latinâ scriptissimus, doctis lectu gratiore, & faciliori pro memorie exercitio. In hac autem barbariem, quantum licuit,*

*fugere*

Præfatio ad Lectorem benevolum.

fugere studiuimus, latinitatem amavimus, sed verborū phaleras & lenocina  
seclati non sumus: neque enim in iusmodi verba querenda esse duximus, ubi  
de salute & perfectione agitur. Suspectum redditur, an Cardinals Baronius,  
Tom. 3. ad Annū 306. quidquid suco & sanguinis obducitur;  
pulchriorque eniteſcit ipsa ſuā puritate simplicitas, prafer-  
tim in spiritualibus & asceticis. Rerum prima mihi, verborum cura  
secunda, ajebat Cyprianus Historicus in Frid. lll. Et ſancti viri pruden-  
tes, ac spirituales, fructus in Libris querunt, non folia, flores, non pappos  
volatiles deſiderant.

Exhortationes etiam, multa, variisque rerum farragine non farſimus,  
quod hodie dum, nonnullis in more eſt poſitum, ſed verbi divini, Sanctorum  
Patrum, Aſcetarumque probatissimorum teſtimoniorum, & rationibus solidis,  
proposita ſubtilitas. Neque enim Auditorum curioſitas tempore, at-  
que oblectare; ſed cum animo ad virtutum ſolidatum ſtudium ac perfe-  
ctionem exſtimulare & promovere, pro modulo noſtro, ſtudiuimus, quemad-  
modum lex Christiana, & Regula ſancta imperat.

Thema duplex preſiximus, alterum e paginis Sacris, e Societatis no-  
ſtræ Regulis alterum: hoc noſtri, illud Religiosi alii deſervire poterit,  
aut pro beneplacito, ejus loco, aliud aptum ſubſtitui.

Habes Lector benebole, mentem & intentionem noſtram, quam egi  
bonique conſulere dignare. Quodſi vel unica Exhortatio, aut punctum ejus,  
zibi, alterve, ad Dei gloriam, proximi edificationem, & vel ad unum gra-  
tie ac gloria gradum, omnibus mundi theſauris infinitè praefantiorēm, ac-  
quirendum, ſervierit; omnem laborem noſtrum, abunde compenſatum,  
exiftimabimus. Ad extreum, id unum, te demifile rogatum velimur, ut  
corde, ore, opere, & majoris glorie divinæ intentione conjuncti, quoquot  
valemus, ad vitam IESU Christi Domini noſtri, imitandam, perfeclio-  
nemque in Regulis Religiosis contentam, omni studio & conatu ſectandam,  
ope divine gratiae, excitare atque inflammare fatigamus. Vale mi Lec-  
tor, & nos ſive viros, ſive mortuos, domumque aeternitatis iam ingressos,  
in Sacrificiis ac Preciis tuis Sanctis, Deo omnipotenti commenda.  
Treviris Anno 1703. 18. Junii.

APPRO-